

Numerabimus itaq; ZITTAVIENSIUM TURRES, quas quidem infra majestatem splendoris Hierosolymitani, non tamen intra miseriam Bethlehemiticam, ut loquimur, sumus deprehensuri. Suisq; jam officiis defungetur invitatoria hæc præscriptio, si, quid à singulis perorantibus expectari debeat breviter explicetur.

Postquam præluferunt Prologi, veniens *SCHOENFELDERUS* ad D. JOHANNIS TURRIM respiciet, in quo templo Parentem habet sacris operantem: et ibi quidem mirabitur, non procul à templi tecto receptacula Campanarum, paulo superius in ambulacro Musicis instrumentalibus designato, insignia tum Inviētissimi **IMPERATORIS**, tum Potentissimi **ELECTORIS**; in summo vertice loco vertumnorum Solem & Lunam, aureis ibi radiis coruscantes. Sic enim Johannes mera gratiæ prodit documenta. Si quidem è campanis **RELIGIONEM**, à musicorum melodiis, quin & è junctis insignibus **CONCORDIAM**, è Solis & Lunæ hieroglyphico gratiosam colligimus **ABUNDANTIAM**.

Alter *JOSEPHI* conversis ad **TEMPLUM PETRI ET PAULI** oculis **TURRIM** observabit, quam dicimus **MONACHORUM**. Nam prisca Monachorum memoria præsentem **RELIGIONIS FELICITATEM**, Petri nomen **CONSTANTIAM**, Pauli **QUIETEM** designat.

Tertio loco succedens *HEMPELIUS*, **TURRIM IN CURIA** spectabilem admirabitur: vel ideo præcipuam, quod **PRIMARIUM** inibi repositum est **HOROLOGIUM**. Id enim loco perquam commodo symbolum est **PERPETUI LABORIS**, **ACCURATÆ PRUDENTIÆ**, **LAUDATISSIMÆ AUCTORITATIS**.

Progrediens inde *NIMPTSCHIUS* Turrim ostendet **PORTE** **BUDISSIONI** incumbentem, quæ quidem Porta tribus gaudere prærogativis videtur. Hinc enim ad Comitia Provincialia proficiscuntur è Patribus Conscriptis Deputati; Hinc potissimum abeunt academicis Studiis consecrati juvenes; hinc procedit ordinarius & præcipuus Postæ veredarius: Ut faustissimum **REGIMINIS**, **ERUDITIONIS**, & **MERCATURÆ** signum deprædicare possimus.

Hunc excipiet *HOHENDORFIUS*, velut miratus, ex his turribus omissam **PRÆCIPUAM**. Eminent enim sua potestate, etiam in his moenibus **POTENTISSIMUS ELECTOR**, quem comparare licet **TRIBUS TURRIBUS** à Salomone in Cantico celebratis. Laudatur **TURRIS DAVIDIS IN MONTE SION**, Pulchra quidem.

quoad **FUNDAMENTUM**,
quoad **EXERCITIUM**,
quoad **EXEMPLUM**;

TUR: